



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vera Sapientia Virtute Et Tranquillitate Animi Enchiridion DD. Evcherii Lvgdvnensis, Martini Bracarensis, & Magni Wigonis, Antistitum

Eucherius <Lugdunensis>

Martinus <Bracarensis>

Magnus <Wigo>

Monachii, 1639

S. Martinvs Bracarensis Episcopus, ad Mitonem, Regem Galaeciae. De
Vera Virtute.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10188

S. MARTINVS BRACA-
rensis Episcopus, ad Mito-
nem, Regem Gal-
lacia.

Quatuor virtutum species,
multorum Sapientum sen-
tentijs definitæ sunt, quibus
animus humanus componi
ad honestatem vitæ possit.

C A P. I.

QVÆ SIT VERA
Prudentia.

I. **Q**uisquis prudentiam
sequi desideras, tunc
per rationem rectè
viues, si omnia priùs existi-
mes, & perpenses; & digni-
tatem

tatem rebus non ex opinione multorum, sed ex earum naturâ constituas. Nam scire debes, quia sunt, quæ videantur esse bona, & non sunt: & sunt, quæ videantur non bona esse, & sunt.

2. Quæcunque autem ex rebus transitorijs possides, non mireris; nec magnum existimes, quod caducum est nec apud te quæ habes, tanquam aliena seruabis; sed pro te, tanquam tua, dispenses, & utaris.

3. Si prudentiam amplectêris, vbique idem eris; & prout rerum, ac temporum varietas exigit, ita te accom-

mo-

modes tempori : nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes : sicut manus, quæ eadem est, & cùm in palmam extenditur, & cùm in pugnū astringitur.

4. Prudentis proprium est, examinare consilia, & non citò facili credulitate ad falsa prolabi.

5. De dubijs non definias, sed suspensam teneas sententiam. Nihil inexpertum affirmes; quia non omne verisimile statim verū est. sicut & sæpius, quod primū incredibile videtur, non continuo falsum est.

6. Crebrò siquidem faciem

mendacij veritas retinet. Crebro mendaciū veritatis specie occulitur. Nam sicut aliquando tristem frontem amicus, & blandam adulator ostendit: sic verisimilitudine coloratur veritas; & , vt fallat, vel surrepat, coloratur.

7. Si prudens esse cupis, infuturum prospectum intende: & quæ possunt contingere, animo tuo cuncta proponere.

8. Nihil tibi subitum sit; sed per otium antè conspicias. Nam qui prudens est, non dicit; *Non putavi quidem hoc fieri*: quia non dubitat, sed expectat: nec suspicatur, sed cauet.

9. Cu-

9. Cuiuscunque facti causam require. Cùm initia inueneris, exitus cogitabis.

10. Scito, te in quibusdam debere perseverare, quia cœpisti: quædam verò nec incipere, in quibus perseverare sit noxium.

11. Prudens fallere non vult, falli non potest. Boni est viri etiam in morte neminem fallere.

12. Opiniones tuæ iudicia sint. Cogitationes vagas & inutiles, &, velut somnio similes, non recipies: quibus si animus tuus se oblectauerit, cùm omnia disposueris, tristis remanebis.

F 3

13. Sed

13. Sed cogitatio tua stabilis, & certa sit: & siue delibere, siue quaerat, siue contempletur, non recedat a vero.

14. Sermo quoque tuus non sit inanis; sed aut suadeat, aut moneat, aut confortetur, aut praecipiat.

15. Lauda parcè, vituperà parcìus. Nam similiter reprehensibilis est, nimia laudatio, & nimia vituperatio. Illa siquidem adulationis, ista malignitatis suspecta est.

16. Testimonium veritatis non amicitiae reddes.

17. Cum consideratione promitte; plenius, quae promiseris, praesta.

18. Si

18. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur. Præsentia ordina, futura præuide, præterita recordare. Nam qui nihil de præterito cogitat, perdit vitam: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.

19. Proponas in animo tuo futura, mala, bona; vt illa sustinere possis, ista moderari.

20. Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato: & ipsa requies plena sit sapientiæ studijs, & cogitationibus bonis: nam prudens numquã otio mar-
cet.

cet. Habet autem aliquando remissum animum; nunquam solum. Accelerat tarda, perplexa expedit, dura molit, exæquat ardua. Scit enim, quid qua via aggredi debeat: & distinctè cuncta videt.

21. Consilium peritorum ex apertis obscura æstimat, ex paruulis magna, ex proximis remota, ex partibus tota.

22. Non te moueat dicentis authoritas: nec quis, sed quid dicat, intendito. Nec quàm multis, sed qualibus placeat, cogita.

23. Id quære, quod inuenire possis. Id disce, quod poteris

tes scire. Id opta, quod optari coram bonis potest. Nec altiori te rei imponas, in qua tibi stanti tremendum, ascendenti cadendum sit.

24. Consilia tibi salutifera aduoca. Cùm tibi alludit vitæ prosperitas, tunc te velut in lubrico retinebis, ac sistes: nec tibi dabis impetus liberos: sed circumspicies, quò eundū sit, vel quousque.

C A P. II.

NEMO SAPIENS

nisi magnanimus.

I. **M**agnanimitas verò, quæ & Fortitudo dicitur, si insit animo

F 5 tuo

tuo, cum magnâ fiduciâ vi-
ues liber, intrepidus, alacer.

2. Magni animi homini
bonum est, non vacillare,
constare sibi, & finem vitæ
intrepidum expectare.

3. Nil aliud magnum in
rebus humanis, nisi animus
magna despiciens.

4. Si magnanimus fueris,
nunquam iudicabis tibi con-
tumeliam fieri. De inimicis
dices; *non nocuit mihi, sed ani-
mum nocendi habuit*: & cum
illum in potestate tua vide-
ris; vindictam putabis, vindi-
care potuisse. Scito enim, ho-
nestum & magnum genus
vindictæ esse, ignoscere.

s. Ne-

5. Neminem susurro appetas, neminem suffodias; palam aggredere: non geres conflictum, nisi indixeris. Nam fraudes, & doli, imbecillum decent.

6. Eris magnanimus, si pericula nec appetas, ut temerarius: nec formides, ut timidus. Nam nihil timidum facit animum, nisi reprehensibilis vitæ conscientia.

7. Mensura ergo magnanimitatis est, nec timidum esse hominem, nec audacem.

*SAPIENS NIHIL IN.
decorum admittit.*

1. **C**ontinentiam verò si diligis, circumcide superflua, & in arctū desideria tua constringe.

2. Considera tecum, quantum natura poscat; & non, quantum cupiditas expetat.

3. Si continens fueris, eò usque peruenies, vt te ipso contentus sis. Nam qui sibi ipsi satis est, cum diuitijs natus est.

4. Impone concupiscentiæ tuæ frenum & modum, omniâque blandimenta, quæ

occultam voluptatem trahunt, rejice.

5. Ede, citra cruditatem; bibe, citra ebrietatem.

6. Obserua, ne in conuiuio, aut in qualibet vite communitate, quos non imitaberis, damnare videaris.

7. Nec presentibus delicijs inhærebis, nec desiderabis absentes.

8. Victus tibi ex facili sit: nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapor.

9. Desideria tua paruo redime: quia hoc tantum curare debes, vt desinant. Atque, quasi ad exemplar compositus

tus diuinum , à corpore ad spiritum , quantum potes , te festina reducere.

10. Si continentiaë studes, habita non amoenè, sed salubriter: nec dominum esse velis notum à domo, sed domum à domino.

11. Non tibi ascribas, quod nō eris, nec quod es: nec maior, quàm es, videri velis.

12. Hoc magis obserua, ne paupertas tibi immunda sit, nec parcimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida: & si tibi res exiguæ sunt, non tamen sint angustæ. Nec tua defleas, nec aliena mireris,

13. Si

De vera Virtute. 95

13. Si continentiam diligis, turpia fugito, antequam accidant: nec quemquam alium vereberis plus, quàm te.

14. Omnia tolerabilia, præter turpitudinem, crede. A verbis quoq; turpibus abstineto; quia eorum licentia imprudentiam nutrit.

15. Sermones vtilis magis, quàm facetos & amabiles ama: rectos potiùs, quàm obsecundantes. Miscebis interdum serijs iocos; sed temperatos, & sine detrimento dignitatis, ac verecundiæ. Nam reprehensibilis risus est, si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus.

16. Odi-

16. Odibilem quoque hominem facit risus, aut superbus, aut clarus, aut malignus & furtiuus, aut alienis malis euocatus. Si ergo ipsos iocos exigis, hoc quoque cum dignitate sapientiæ gere, vt te nec grauent tanquam asperum, nec contemnant tanquam vilem.

17. Non erit tibi scurrilitas, sed grata vrbalitas. Saules tui sint sine dente, ioci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu. Quies tibi non desidia erit, & cum ab alijs luditur, tu sancti aliquid, honestique tractabis.

18. Si

18. Si Continens es, adulationes deuita: sitque tibi tam triste laudari à turpibus, quàm si lauderis ob turpia.

19. Lætior esto, quoties displices malis: & malorum de te existimationes malas, verè tui laudationi ascribe.

20. Difficillimum continentiae opus est, assentationes adulatione repellere, quarum sermones animum voluptate resoluunt. Nullius per assentationem amicitiam merearis: nec ad tuam promerendam, per hanc aditum pandas.

21. Non eris audax, nec arrogans. submittes te, non proij-

proijcies, grauitate seruata,

22. Admoneberis libenter, & reprehendêris patienter. Si meritò obiurgabit aliquis scito, quia profuit: si immeritò, scito, quia prodesse voluit. Non acerba, sed blanda timebis verba.

23. Esto vitiorum fugax ipse: aliorum verò neque curiosus scrutator, neque acerbis reprehensor: sed sine exprobratione correptor, ita ut admonitionē hilaritate praeuenias: & errori facilè veniam dato.

24. Nec extollas quemquam, neque deicias. Dicitur tacitus auditor: audiens

dientiū promptus receptor.
Requiriti facilè responde,
contemnti facilè cede: ne
in iurgia, execrationésque
discedas.

25. Si continens es, animi
tui motus corporis que obser-
ua, ne indecori sint. Nec illos
ideò contemnas, quia latent:
nam nil differt, si nemo vide-
at, cùm tu ipse illos videas.

26. Mobilis esto, non le-
uis: constans, non pertinax.
Alicuius rei scientiam habe-
re te, nec ignotum sit, nec
molestum.

27. Omnes tibi pares fa-
cies: & inferiores superbien-
do non contemnes. Superio-
res,

res, rectè viuendo non me-
tuas. In reddenda officiosi-
tate, neque negligens, neque
exactor appareas.

28. Cunctis esto benignus,
nemini blandus, paucis fami-
liaris, omnibus æquus. Seue-
rior esto in iudicio, quàm in
fermone; vita, quàm vultu:
Cultor clementiæ: detestator
seuitiæ: bonæ famæ neque
tuæ feminator, neque alienæ
inuidus.

29. Rumoribus, crimini-
bus, suspicionibus minimè
credulus vel malignus; sed
potius his, qui per speciem
simplicitatis ad nocendum
aliquibus subrepunt, opposi-
tissimus.

30. Ad

30. Ad iram tardus, ad
misericordiam pronus: in
aduersis firmus, in prosperis
cautus & humilis: occulta-
tor virtutum, sicut alij vitio-
rum. Vanæ gloriæ contem-
ptor, & bonorū quibus præ-
ditus es, non acerbus exa-
ctor.

31. Nullius imprudentiam
despicias. Rari sermonis ipse,
sed loquentium patiens. Se-
uerus, non sæuus, sed hila-
rem non spernens.

32. Sapientiæ cupidus &
docilis: quæ nō sti, sine arro-
gantiâ postulanti imperties:
quæ nescis, sine occultatione

G

igno-

ignorantiæ tibi postula impertiri.

33. Non conturbabit sapiens mores publicos, nec populum in se vitæ nouitate conuertet.

C A P. IV.

SAPIENTIAM IV.
stitia complet.

I. **Q**uid est Iustitia, nisi naturæ tacitæ conuentio, in adiutorium multorum inuenta? Iustitia non nostra constitutio, sed diuina lex est, & vinculum societatis humanæ.

2. In hac non est quod æstime.

stimemus quid expediat: expedit tibi, quidquid illa dictauerit. Quisquis ergo hanc sectari desideras, Deum time, prius & ama, ut ameris à Deo.

3. Amabilis eris Deo, si in hoc illum imitaberis, ut velis omnibus prodesse, & nulli nocere: & tunc te iustum virum appellabunt omnes, sequentur, venerabuntur, & diligent.

4. Iustus enim ut sis, non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis: nã nil nocere, non est iustitia, sed abstinentia alieni est. Ab his ergo incipe, ut non auferas,

G 2 ras,

ras, vt ad maiora proueharis,
& alijs ablata restituas. Rap-
tores quoque ipsos, ne alijs
timendi sint, castiga & co-
hibe.

5. Ex nullâ vocis ambigui-
tate controuersiam necites,
sed animi qualitatem specu-
lare.

6. *Tam sancta tibi sit veri-
tas, vt nihil intersit, affirmes
an iures. De fide & religione
scias agi, vbicunque de Veri-
tate tractatur; nam si iureiu-
rando Deus inuocetur, & nō
inuocanti testis est. tamen
non transeas veritatem, ne
iustitiæ transeas legē. Quōd
si aliquando coarcteris vt*

ambig

ambiguo, utere non ad falsi,
sed ad veri custodiam: & si
contigerit fidelitatem *ambi-*
guo redimi, non mentieris,
sed potiùs excusaberis: quia,
vbi honesta causa est, iustus
secreta non prodit: tacenda
enim tacet, loquenda loqui-
tur: atque illi aperta & secu-
ra tranquillitas, vt dum alij
vincuntur à malis, vincantur
ab illo mala.

7. Hæc ergo si studere cu-
raueris, lætus & intrepidus
cursûs tui finem expectabis:
prospicies hæc tristia huius
mundi hilaris; tumultuo-
sa, quietus; extrema
securus.

PRVDENTIÆ Li-
mites.

HIs ergo institutionibus
obseruatis, quatuor vir-
tutum species perfectū
te facient virum, si mensu-
ram rectitudinis earum æquo
viuendi fine seruaueris. Nam
si prudentia terminos suos
excedat, callida, & puida
commiseris; inuestigator la-
tentium, & scrutator quali-
uncūque noxarum osten-
dêris: notaberis timidus, su-
spiciosus, attentus: semper a-
liquid quærens, semper ali-
quid timens, semper aliquid
dubi-

dubitans : & subtilissimas sus-
spiciones tuas ad animi tui
apprehensionem impingens :
monstraberis digito astutiâ
plenus, versipellis, & simpli-
citatâ inimicus, contempla-
tôrque culparum, & postre-
mò vno nomine vocaberis à
cunctis, malus homo. In has
ergo maculas prudentia im-
mensurata perducet: quicun-
que in illa mediocri lance
*persistit, nec obtusum in se
aliquid habeat, nec
versutum.*

*MODERATIO FOR-
titudinis.*

MAgnanimitas autem si se extra modum suum extollat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum: & in quascunque extollentias dictorum, actorumque, neglecta honestate, festinum: qui momentis omnibus supercilia surrigens & bestiarius, etiam quietam excitat, alium ferit, alium fugat. Sed quamvis audax sit impugnator, tamen multa extra se valentia ferre non poterit. Sed aut miserum op-
petit

petit finem, aut ærumnosam
sui memoriam derelinquit.
Mensura ergo magnanimitatis est, *nec timidum esse hominem, nec audacem.*

C A P. VII.

*CONTINENTIÆ
modus.*

Continentia deinde his terminis te astringat: caue ne parcus sis; ne suspiciosè, & timidè manum contrahas. Ne in minimis quoque speculũ ponas. Nam talis, & tam circumcisa integritas, vilis putabitur. Hac ergo mediocritatis linea cõtinentiam obseruabis, vt *nec*

G s *volu-*

voluptati deditus, prodigus & luxuriosus appareas: nec avara tenacitate sordidus, aut obscurus existas.

C A P. VIII.

M E N S U R A I V.

stitia.

Iustitia postremò eo mediocritatis tibi itinere regenda est, ut nec ductu iugiter leui immotam semper animi rationem negligentia subsequatur; dum neque de magnis, neque de minimis errantium vitijs corrigendi curam geris: Sed neque licentiam peccandi, aut alludentibus tibi blandè, aut illudena.

De vera Virtute. III

ludentibus proteruè permit-
tis. Neque rursus nimia rigi-
ditate & asperitate, nil veniæ
aut benignitati reseruans, hu-
manæ societati durus appa-
reas. Ita ergo iustitiæ regula
tenenda est, vt reuerentia di-
sciplinæ eius, neque *nimia ne-*
gligentia communitate despecta
vilescat, neq; seueriori atroci-
tate diuturna, gratiam hu-
mane amabilitatis
amittat.

CON-

CONCLUSIO.

SI quis ergo vitam suam ad
utilitatem non tantum
propriam, sed etiam mul-
torum inculpabiliter com-
ponere desiderat, hanc præ-
dictarum virtutum formu-
lam pro qualitatibus tempo-
rum, locorum, personarum
atque causarum sequatur; ita
mediocritati insistens, quò
per abrupta altrinsecus præ-
cipitiâ, aut ruentem corpo-
ris deuitet insaniam, aut
efficientem puniat
ignauiam.